



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

25. Decembris. Viles, abjectos, imbelles eos, ignavósque putate, si vel unus in aula reperiatur, qui ut terreni Principis favorem aucupetur, ipsius nutibus diligentius, quàm vos, ut gratiosi apud ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

eo tamen tum incipit prodesse, quando privatam, quâ dives est, virtutem, aliis communicat.

Quid juvat plenam optimis mercibus habere officinam, si eas venum non ponas? latebunt, nihil lucri ferent. Qui melius sua novit vendere, questum facit uberiores. Ideo sua in te Deus cumulavit dona gratiæ, ut in plures deriventur.

Si brusca, & morosa tua sit sanctitas, non à te modò arcebis homines; sed & à virtutis studio; tetricam esse tristi supercilio doces, cum veræ sit lætitiæ parens; nec sincerius gaudere possit ullus, quàm qui bonus.

Vultus ad serenitatem explicatus, placidus sermo, benignior oculus, perpetua morum tranquillitas, si sanctitati vitæ conjuncta sunt, tum optimo virtutum proven-  
tu doces. Cæterùm frustra vocabis in se-  
quelam, quos atro vultu cogis in fugam.

25. Decembris.

*Viles, abjectos, imbelles eos, ignavosque pu-  
tate, si vel unus in aula reperiat, qui  
ut terreni Principis favorem aucupetur,  
ipsius*

*ipſius nutibus diligentius, quàm vos, ne  
gratioſi apud cœleſtem Regem evadatis.*

S. Ignat. apud Bart. l. 4. f. 328.

**M**axima mundi felicitas eo absolvi-  
tur gradu, ſi quis inter aulae dome-  
ſticos aſſumptus, regii miniſtri ſortem ob-  
tineat. Quantis hoc apud multos labori-  
bus, quantis ſtetit impenſis! Ecce idem ti-  
bi volenti ultro apud Deum proſtat.

Quantum terreni Regis gloriam æterni  
majestas excedit, tantò majus eſt, quod  
huic præ illo debes obſequium. Confer pa-  
ralellas. Ille pari tecum luto compactus,  
paribus obnoxius ærumnis, pares abiturus  
in cineres: Deus æterna, & immenſa maje-  
ſtas. Vide, quid, cui, debeas?

Hominem Deus induit, ut ſui à nobis  
impetret ſequelam, extorqueat famula-  
tum. Vel fides nobis deeſt, vel inferni pœ-  
nas non ſimplices meremur, quòd tali  
Domino tam parum, & tam ſegniter ſer-  
viamus.

Nec noſtrum ſinè mercede poſtulat ob-  
ſequium; æternum pro labore modico do-  
nat præmium. Pudeat nos in lucra tempo-  
ralia tam pronos, ſi æterna turpi vecordiã  
negligimus!